



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

8. Hominem à loco, origine, & societate animalium, suæ fragilitatis
vtilissimè communesieri.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

omnes quadrupedes necat in cibo datum. Allium mustela, & panthera aduersum. Herba, quam nostri anserinum pedem vocant, suis venenosa est. Squilla contactu lupus torpet. Vulpes aiunt, si ederint amygdalas amaras, nec superbiberint, mori. Fimum gallinae à bone inter pabula sumptum, bouem necare dicitur. Cicuta herba ab asinis depasta in Tuscia, grauissimum illis soporem inducit, adeo ut mortui videantur. Conyx am edentes capra moriuntur. Crocodilus terrestris crocum timet, unde quidam eum dictum existimant. Chamaleon albus canes, sues, mures; helleborus niger equos, boues, sues occidit. Tot sunt reliquis animalibus pluresque & morbi, & morborum causa. Nam omnes enumerare nimis prolixum foret; & vel medicorum confessione, aliquid tentare, quod nullius adhuc diligentioris industria aut experientia est consecuta, presumptio videtur.

VIII.

Ecclef. 3. 7.

Hebr. 13. 14.

Iob 30. 19.

Iob 7. 5.

Psal. 38. 6.

Rom. 8. 20.

Sap. 9. 15.

Rom. 8. 20

Inter tot morbidos degentem hominem quid mirum est, & ipsum esse morbis subiectum? Exigit hoc natura loci, originis, societatis. Natura loci, quia suis spatijs transeunt uniuersa sub calo. Solusne homo vult manere, contra effectum illud? Non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus? Ipsam originem suam si aspiciat homo, quid videt, nisi vnde dicat: Comparatus sum luto, & assimilatus sum fauilla, & cineri. aut: Induta est caro mea putredine, & sordibus pulueris cutis mea aruit? Quid faciam? ex me homine Angelum? sed istud, hoc loco, non faciam, quia uniuersa vanitas, omnis homo viuens, & sub calo omnis creatura vanitati subiecta est. Nam corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Quia igitur in hac terra omnis creatura vanitati subiecta est, in alia terra sperare debet incorruptibilitatem, quoniam ipsa liberabitur à seruitute corruptionis. Itaque contra seipsum instituit querelam, quisquis murmurat de naturæ suæ debita corruptione. Neque ceterorum animalium societas, & subsidium aliò respicit, quàm ut nos velut conducat, ad miseras nostras corruptionesque agnoscendas. Quorsum enim Creatoris nostri prouidentia tot condidit iumenta, armenta, greges, nisi ad fragilitatis nostræ sustentandæ subsidium? Alia enim animalia terram nobis colunt, alia onera nostra portant, alia corpus protegunt, alia nos alunt. Rursus alia seruiunt delicijs nostris, alia sunt in custodia, alia

alia in exemplum, alia in familiaritatem, alia in admirationem, plurima, & quidem alioqui venenata, in morborum nostrorum medicinam. Quid ex his omnibus aliud discimus, quam naturæ nostræ imbecillitatem? Qui aliud vult esse, homo non vult esse. At cur homini aliam naturam non dedit DEVS? Non dedisset illam homini, si aliam naturam dedisset. Hanc autem sapientissimè dedit. Si enim homo, tot ærumnis, tot casibus, tot morbis, morti denique ipsi expositus adhuc superbit, & leges diuinas contemnit, quid facturus erat, si neque vulnerari, neque ægro-
tare potuisset? Videmus quosdam arte magica, & nescio quibus amuletis se inuulnerabiles arbitantes, quid illi ea confidentia non audent? alij, quantò magis sunt conscij suæ fragilitatis, tantò sunt cautiore. Certè nemo est, qui morbis indignetur, quin etiam naturæ suæ indignetur.

Fragilitatem nostram hanc ne nesciremus, voluit nos DEVS vitam cum lachrymis inchoare, & identidem flere, dum adhuc nec serpere quidem possumus. Vt autem viuere incipimus cum ploratu, ita etiam desinimus. Vel enim ipsi ploramus morituri; vel mortuos nos plorant amici. Ante mortem enim vel senescimus, vel ægrescimus. Vtrumque plorabile est. Et morbos pleriq; deplorant. Senium multi, si non omnes, optant. Sed vt Ausonius cecinit:

IX.

Auson. in
Eclogis, seu
Eidyll. 7.

ipsa senectus

*Expectata diu, votisq; optata malignis,
Obiit innumeris corpus lacerabile morbis.*

Rara enim sunt exempla viridis senectutis, quia labentibus tunc corporis animique viribus

Multa senem circumueniunt incommoda.

Sicut enim in amphora videmus grauissimam turbidissimamque facem subsidere, ita tunc languet corpus, quod prope est à fine.

Nec morbus est tantum senectus, sed etiam incurabilis morbus.

Quare non inanis est consolatio illa Nysseni. *Forstian angit te, quod ad senectutem (Pulcheria) non peruenit? Quid verò, dic mihi pulchri cernis in senectute? an pulchrum prurire, ac fricari oculos? corrugari genas? ex ore desuere dentes, & lingua balbutiem ingerari? manibus subremiscere? ad terram incuruari? et iurare atq;*

horat. de arte
Poët.
Senec. ep. 109.

S. Gregor.
Nysson orat.
in funere
Pulcheriz.
Vide Corn.
Cels. lib. 2.
subclau. cap. 6. seq. &